

DESCRIPTIO TYPHI CONTAGIOSI,

QUI

A MENSE OCTOBRI ANNI 1835. USQUE
MENSEM JUNIUM ANNI 1836.

IN
PESTANOS SAEVIIIT INCOLAS,

QUAM

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA REG.
SCIENTiarum UNIVERSITATIS HUNGARICAE

UT RITE CONSEQUATUR

DOCTORIS MEDICINAE

LAUREAM

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Rudolphus Kriek,

Artis Ocularis Magister, Nosocomii Civici Pestinensis ad S. Rochum
Assistens medicus.

Theses adnexae defendantur in Palatio Universitatis
majori Die Julii 1836.



PESTINI,

TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS,
IN PLATEA DOMINORUM N° 612.

— — — ! schwächt nicht die edle Kunst ! —
Die enge Gränze ward von Gott gezogen,
Und in die stille Werkstatt der Natur
Hat keines Menschen Auge noch gesehen.
Erklären mögen wir des Lebens Weise,
Sein Keimen, seine Blüthen, seinen Tod ;
Doch in das Chaos fernter Möglichkeiten
Verliert sich traurig der bedrängte Geist,
Wenn er's versucht, dem Räthsel abzulauschen;
Was sechs Jahrtausende noch keinem Ohr vertraut. —

Theodor Körner.

Non magister, sed minister naturae est medicus.

Hippocrates.

PERILLUSTRI AC SPECTABILI

DOMINO

CAROLO A SEEBER,

LIBERAE REGIAEQUE CIVITATIS PESTINENSIS

CONSULI,

ORDINIS ST. LEOPOLDI

EQUITI,

LIBERAE ET REGIAE CIVITATIS PESTINENSIS

EC MON

AMPLISSIMO
MAGISTRATU,

VIRIS
FIDELITATE IN REGEM
AMORE AC MERITIS IN PATRIAM
IN SIGNIBUS
JUSTITIA MANSUETUDINE
HUMANITATE AC LIBERALITATE

PERPETUUM GRATI ANIMI
& THER
PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS PIGNUS
DEVOVET

**DEVINCTISSIMUS
AUCTOR.**

Spectabilis Domine Consul!
Amplissime Magistratus!

Probe, ecquidem scio! Vos Titulis
vestris Dignissimi Viri! meis haud
indigere laudum Encomiis; florens enim
Civitatis Vestro Praesidio concredita
status, crescens ejus in diem cultura, aucta-
que de momento in monumentum ejusdem
venustas, incolarum opulentia, hilaritas,
et in rebus quaquam adversis tranquillitas,
tam candida eadem loquuntur voce, ut exili
mea eloquentia, quod adderem, nil super sit.

Ast, dum prima academicorum meo-
rum laborum conamina Vobis consecrare
efflagito, exiguum quamvis, sed sincerum

venerationis gratitudinisque , quibus una
mecum omnes patriae Cives Vos colere per-
gunt , statuere adnitor monumentum.



Scopo autem hoc potito , nil optandum
mihi super est , quam orare , ne tenuitatem ,
opusculi , sed offerentis gratissimum ani-
mum intueri , atque concedere velitis , ut
diu adhuc benigna Vestra frui possit tutela

Dabam Pestini Die 28. Junii

Anni 1836,

devinetissimus Auctor.

Prooemion.

Mihi in nosocomio cívico pestinensi ad St. Rochum medici assistentis munere fungenti, et sub auspiciis Spect. Domini Leopoldi a Vindisch, Nosocomii hujus Directoris, Physici civitatis hujus primarii constituto, fausta data erat occasio morbum observandi, qui symptomatibus eminenter nervosis incedens, multos eodem tempore graviter dejecit urbis hujus incolas, horum non paucos, proh dolor! e vivis sustulit, alios terrore haud exiguo consternebat. Legi academicae longa consuetudine sanctitiae, ut metam praefixam assequerer, satis facturus: hujus morbi siaceram descriptionem, observationum quorumdam enumerationem, atque methodum, qua ei medebamur, elaborare suscepi.

Substratum hoc selegi partim ideo, quod me plus praestitisse autumem, si proprias, quamvis mancas fors descripserim observationes, quam si aliorum plumis meos vellem ornare labores; partim vero ideo, quod occasionem mihi praebeat, instituti hujus haud sufficienter hucusque aestimali, methodum aegros tractandi, rationemque inter mortuos et sanatos numericam, in morbo quamvis perniciose, publici facere juris.

Vos lectores benevolos, exitiosi hujus mali cetero-
quin spectatores oro, ne severo nimis opusculum strin-
gere judicio et memoras esse velitis, tyronem in arte
non magistrum fuisse auctorem. —

Definitio Morbi.

Morbus describendus, est morbus febrilis epidemicus contagiosus, qui per determinata temporis spatia, symptomatibus certis, certo ordine se excipientibus decurrit, et quorum constantissima erant; temulentia stupore capitis, hebetudo et tarditas facultatum mentalium motusque muscularis omnis, atque symptomata irritati systematis cutanei, externi internive. Accesserunt his in multis symptomata abnormiter fungentis hepatis et cutis quaedam efflorescentia. Ex his, statum hunc abnormem Typhum Contagiosum nominari posse, persvasus sum. Graeca enim vox (*Tύφος* aliorum mente *Τυφλός*) idem est ac stupor, temulentia capitis, unde febris Typhodes (*Τυφώδης πυρετός*), febrim cum stupore denotat, quod jam Foësius (a) testatur, dum inquit, *Τυφος* apud Hippocratem dicitur stupor attonitus. Facultas, qua in aliis eundem gignere valet morbum, praedicatum contagiosi sibi vindicat.

Divisio Morbi.

Ut genuinam morbi imaginem, sinceramque illius descriptionem exhibere possim, juvabit quaedam circa illius divisionem praemittere; consulto enim superius definiti, esse morbum qui per determinata temporis spatia, certis, certo ordine semet excipientibus symptomatibus decurrit. Ad normam morborum contagiosorum exanthematicorumque, etiam hic per stadia manifeste decurrebat, in quibus typhus septenarius interdum observari potuit, quamvis obscurius multo rariusque, ac aliarum epidemiarum descriptores asseverant.

(a) *Oeconomia Hippocratis.*

In cursu illius manifeste quatuor poterant distinguvi stadia, quae sub sequentibus nominibus, a praevalentia symptomatum desumptis, describere deinceps conabor.

I. Stad. Prodromorum (infectionis et incubationis seu opportunitatis.)

II. Stad. Reactionis (invasionis et exanthematico catarrhosum, seu inflammatorium.)

III. Stad. Nervosum (nervosum et criseos.)

IV. Stad. Decrementi (decremeti et convalescentiae.)

Observatio: Quaeret quis, cur quatuor tantum assumserim stadia? Haec est ratio:

Infectionis stadium assumere non potui, cum non ubique praecessit, nec puto ipsam infectionem, actum unius momenti quo causa morbi ponitur, ipsum jam esse morbum.

Invasionis et inflammatorium stadium communi reactionis titulo comprehendti, partim ideo, quod crediderim invasionem tantum exordium febris omnis esse, quae dein eadem, sub inflammatorio continuat stadio; partim ideo, quod etiam causam utriusque eandem putem, nisum nempe naturae reagentis sensibus perceptibilem, ad morbum exterminandum.

Momentum quo Crisis contingit, ob breve quo peragitur tempus et quia saepe manifesta nulla observetur stadii titulo indignum censui.

Reconvalescentiam, ut morbi partem non considero, eam solum pro vestigio morbi jam superati habendo; quis autem vestigia, pro ipsa re hic sui vestigia relinquente habebit?

Divisionem ultra molienti patebit, morbum hunc relate ad originem suis vel praegressa actione contagii seu *infectione* ortum, vel citra hanc *originarie* evolutum.

Respectu decursus erat *regularis*, dum per omnia stadia suo tempore et modo infra describendo decurrebat, et *irregularis*, dum ab his quoquo modo desfleblebat.

Respectu utilitatis practicae summi erat momenti divisio illius in *simplicem* et *complicatum*; prior solus, posterior cum alio, simul in organismo praesente decurribat morbo.

Notandum hic venit, quod totius epidemiae decursu ea persaepe irregularem tenuerit decursum; paucissimas fuisse complicationes cum morbis acutis, quia eis suum ut plurimum impressit characterem, plures cum chronicis, ut Syphilide, Psora, Herpete etc. quibus, si in emendatione jam constitutis accessit, saepe finem imposuit, in incremento vel acme existentibus, finito proprio cyclo, haud raro majorem vehementiam addidit. Cum Phtisi rarissime, fors nunquam erat deprehensus. —

His praemissis ipsius morbi per stadia sua adgrediar descriptionem.

Stad. I. Prodromorum: incerto tempore, sed raro ultra quartum diem, ni fors tempus post infectionem, nullis tamen symptomatibus distingvendum, huic numerare velis, durat; et cum prima febris eruptione terminatur. Observare in iis solum nobis concessum erat aegris, qui ex alio morbo decumbentes, in ipso nosocomio contagium suscepserunt, in aliis ex narratione solum collimandum.

Symptomata praebet pauca, inconstantia et aliis febribus praesertim gastricae et catarrhalis communia, uti capititis quamdam temulentiam, gravitatem; animi morositatem; et hinc minorem in labores consuetos propitatem, exiguum vel nullum post cibum, potum vel somnum voluptatis sensum; somnus ipse est inquietior; accedit interdum levis in canthis oculorum rubor, siccitas narium, tussicula, sapor oris limosus, sensus ven-

triculi oppressivus, anxietas praecordialis, totius corporis lassitudo, interdum tremores artuum; alvus inordinata. Frequenter symptomatibus his praecessit error levior in diaeta vel refrigerium mitius.

Memorandum hic simul venit symptomata gastrica, praesertim gastricobiliosa, sub initio et fine epidemiae, mensibus Octobri, Novembri, Aprili et Majo, eminuisse; hiemis autem et proximo illi tempore, characterem catarrhosum et inflammatorio catarrhosum praedominasse. Quod fors Epidemiae annuae experte sit imperium.

Stad. II. Reactionis. In septimum plerumque diem excurrit, nonnunquam ultra hunc terminum protendebatur, raro citius terminatum. Stadium hoc incipit cum sensu horripilationis vel frigoris, qui, ut in me ipso expertus sum, ex centro corporis egrediens, motu undoso versus peripheriam corporis propagatur; in aliis decursum spinae dorsalis sequebatur, per extremitates dein decurrens. Intensitatis gradus in diversis diversus, moderatus tamen plerumque fuit; ubi intensius praecessit frigus, morbus gravior juste timendus erat; duratio duarum usque sex horarum, interdum calore fugaci alternans, tumque ut plurimum longius uno altero die durans. Excipitur frigus calore intenso, sicco, continuo, quem Aurora mitigat, Diluculum exacerbat; jungitur huic sitis in acidula et haustum frigidum directa; simul symptomata prodroma augmentur, temulentum prius caput, stupore, imo dolore saepe intensissimo opprimitur, facies turget rubetque, scleroticae conjunctiva rubore intenso suffunditur, cornea splendorem peculiarem acquirit et totus aspectus tristitiam quamdam et hebetudinem, visu magis ac verbis distingvendam, nanciscitur, in quo producendo, ipsae palpebrae et frons multum conferre videntur, quia partes hae in rugas plerumque contrahuntur, superciliis introrsum sursumque rotatis, palpebra superiore usque marginem iridis internum dependente, in

terdum Epiphora et levis Photophobia symptomatum augent catervam.

Lingua cum tarditate quadam porrecta; est crassa, crenata, muco albo vel subslavo tecta; in aliis parva, acuminata, praerubra, levis, rimas leves hinc inde gerens, vel ob papillas, conorum exiguorum instar erectas, subsiccas, aspera.

Tussis intenditur, initio sicca, tardius sputa pauca, densa, glutinosa, fere crocei coloris ejiciuntur; respirationem acceleratur, opprimitur; vox fit debilis, rauca, in morbo intenso totalem observavimus aphoniā, tuncque inspiratio et tussis sonum rugitui asinino haud absimilem edidere.

Epigastrii dolor et oppressio augetur, accedunt ructus, interdum nausea, vomititiones, quae non infre-
quenter vomitu, semper fore bilioso, terminantur. Al-
vus sub initio plerumque diarrhoica vel adminus pulta-
cea paulo post accedit, tardius obsipa haeret et urina
parcior, brunei coloris vel rubro fusci, saepe turbida
absque sedimento evacuatatur.

Turgor cutis augetur, quae tota fere pallido suffundit rubore; ceterum in plurimis est sicca, arens, magno tamen in sudorem nisu praedita, et in aliquibus per totius morbi decursum fere continuo madet amoenissimo sudore. In his dein mitissimum servat decursum, nam sudore per 48 et ut in aliquibus vidi per 5 dies con-
tinuante, febris fere omnis silebat, nec aliud ac debili-
tas muscularis remansit.

Pulsus in hoc stadio acceleratus, plerumque fre-
quens durior pleniorque deprehenditur, interdum sup-
pressus adeo, ut arteriae vibratio exigua quidem sit,
sed eadem extensa plenaque continuo chordae instar,
sub dactilo tangatur prementi. Somnus nullus, vel bre-
vis inquietus.

Sub ulteriori stadii hujus progressu symptomata gastrica disparent quidem, accedunt tamen nunc alia graviora. Praesente quamvis massa, roboreque musculari sufficiente, tarditas tamen in omnis generis actionibus observatur. Situs quamquam in omne latus liber, praep placet tamen dorsalis; comparet difficultas quaedam in audiendo (Bary ecoia); susurrus aurium, deliria mitiora, magis fors ex noctibus insomniis derivanda, aegri enim hujusmodi etiam interdiu apertis oculis somniare; et eodem momento, ad quaestiones rationaliter respondere solent. Interdum epistaxes absque levamine compa ruerunt. Stadii hujus 3, 4-ve die exanthema plerumque prodibat triplici sub forma. Frequentissime prorupperunt maculae lenticulares coccineo rubrae, supra cutim parumper elevatae, margine lacero praeditae, nil prurientes, in tota cutis superficie, praesertim partibus calore majori solis, conspicuae. Notae sub nomine Purpurae typhosae. In aliis comparuerunt Miliaria, quamvis omnium rarissime; saepius aderant Petechiae. Nec deerant casus exanthematum horum miscelam gerentes. In aliquibus tamen aegris exanthematum ne vestigium poterat detegi.

Servato decursu regulari symptomatum horum plura pro diversitate gradus et individualitatis diversa poterant distingvi. In morbi decursu tamen anomalo, quem haud raro videre erat, sanguinis turgor versus organa nobiliora adeo increvit, ut inde status inflammationi proximus emergeret. Potissimum valebat hoc de organis respirationis et Enkephalo. Trachea et pulmonum Bronchia in quibusdam adeo turgebant sanguine, ut inde suffocationis oriretur metus: concesso enim situ in omni latere, absente omni dolore pectoris, presto erant aphonia, respirum laboriosissimum, tussis sicca, sonum fistulae instar edens, sputa paucissima et haec sanguinis punctis striisque colorata, nares simul siccae cum ke-

phalaea gravissima. Cerebrum nimis tentatum prodidērunt deliria vivacissima, nisus ausugiendi cum blasphemis imperterritis, turgor et rubor faciei insignis, pupilla coarctata, lucem reformidans, vel horum loco, sopor profundus, ex quo aeger difficillime et pro momento solum excitari potuit, nec deerant, qui ex hoc statu in aeternum inciderunt somnum.

In longe plurimis tamen symptomata superius relatā, duobus tribusve diebus eodem tenore perseverant, ac tandem stadii hujus die 7 aut 8-vo, praegressa exacerbatione intensiore, transeunt in

Stad. III. Nervosum. Duratio illius eadem, ut stadii prioris sub decursu morbi normali, secus inconstanter, mox brevior, saepius longior. Symptomata inflammationis seu congestionis mitigantur; in paucis solum, sub leviori decursu, cessant omnia, hinc turgor cutis et oculorum splendor dispartet, facies successive collabitur, pallescit, residuo saepe rubore genarum livido circumscripto. Lingam aeger aut tremulam porrigit lente, nec retrahit porrectam, nisi admonitus, vel omni adhibito conatu porrigere non valet; eadem, si prius erat praerubra, subsicca, nunc fit pallida, siccissima, levis, lignea, fere polita; si quis eam obduxit prius mucus, is nunc successive brunescit, nigrescit, exsiccatur, tandem sinditur, fissuris sanguinem plorantibus. Mucus similis obvestit labia, dentes, fauces, unde deglutitio difficultis; exsiccatur quoque mucus narum, quae fuligine obductae apparent.

Mutationes similes per totum canalem alimentarem videntur oriri, regio enim epigastrica fit iterum sensilis, et dolor per totum tractum intestinalem praesertim regione iliaca dextra sub ad tactu manifestatur, mox accedit famosa illa Tympanitis, qua abdomen saepe in ingentem expanditur molem, et percussus tympani instar resonat, omnem fere reformidans ad tactum. Alius nunc

vel est obstruens vel diarrhoica, frequens, interdum inscio aegro ruens. Urina copiosior pallidiorque ac priori stadio, limpida est plerumque et absque sedimento, interdum spasmo sphincteris vesicae orto retinetur.

Calor cutis sit nunc mordax et sub digito explorante augeri videtur; siccitas ejus est summa, adeo ut pergameno coriove haud absimilis sit; attactu asperula interdum apparet, cum exanthemata, praecipue Miliaria et Purpura disparentia, epidermidem squamularum furfuracearum instar dejiciunt.

Pulsus est variabilis et inconstans, in multis celeritate augetur, plenitudine et duritie minuitur, in aliquibus ipsa etiam durities perstat, in aliis fit normali lentior. Debilitas muscularis summa, aeger supinus jacens erigere corpus non valet, hoc tentans obfuscatione sensuum corripitur, animo linquitur: tremunt extremitates in summo morbi gradu, thorace altius sito, caput pedes versus dehiscit.

Omnibus his coronam imponit cohors symptomatum nervosorum. Prae omnibus facultates animae: Ratio, Judicium et Memoria perquam labefactatae sunt, et aeger si interdum congrue respondere videatur, eorum, quae loquebantur, vel quae circa illum facta sunt, aut obscure ac si in somno acta fuissent, aut plane non recordatur; quod in me ipso non secus ac aliis, frequenter observavi.

Deliria, initio mitiora, vesperi et noctu redeuntia, mox fiunt continua: ferocia in aliquibus, ridicula in aliis, in nonnullis sola mussitatio continuaque blateratio observantur. Nec rarum erat videre aegros hujusmodi, idaea quadam fixa continuo occupari. Aliqui mortem inevitabilem sibi continuo anxie praedicabant, quamquam unico excepto, sanati omnes sint. Aliquorum judicium etiam tempore delirii minus laesum videbatur, quia de

certis objectis ratione convenientissime judicabant, quin superato morbo eorum memores essent.

Deliriis his accedunt tandem spasmi diversi, tenditum subsultus, floccorum captatio, risus Sardonius et Cynici spasmi; singultus ut symptoma nervosum omnino simum, in unico solum casu duodecim forte horis continuus praecessit mortem.

Sensus externi, ut visus, tactus, auditus, olfactus et gustus prosternuntur omnes, non minus ipsa coenaesthesia; hinc aegri nil desiderant, sed nil etiam aversantur; potulenta tamen ori admota, ubi deglutitio liberior super est, avide hauriunt.

Hoc in statu morbus tribus — quatuorve diebus persistare solet, tandem stadii hujus die 7-mo, ni mors citius jam scenam claudat, exacerbatio notabilior subsequitur, calor, pulsuum celeritas, sopor, deliria, augentur, donec tandem versus matutinum tempus in somnum aeger cum sudore amoeno, primo stadii sequentis indicio, incidat.

Stad. IV. Decrementi. Simul ac sudor supra memoratus comparet, uno quasi ictu cessat cutis siccitas, quae amoeno calidoque madore perfusa mollis calidaque est. Aeger e somno quasi e sopore profundo evigilat, hilarior evadit adspectu tranquilliori gaudens. Simul ac cutis functio reddit, membranae quoque mucosae priori vigore funguntur, hinc lingua humectatur soluta crusta illa prius eam obducente, mucus nares obvestiens, sternutazione frequentiori ejicitur et saepe conum cavi natum formam apprime aemulantem refert, in aliquibus tussi facilis sputa ejiciuntur cocta, mox et reliqua collatoria aperiuntur; alvus pultacea cum summo voluptatis sensu et levamine frequentius deponitur, in aliis urina sedimento largo instructa, pallida et copiosa evacuatur, dentes depurantur, pulsus quietior, undosus, regularis vesperi tantum exacerbationibus recurrentibus acutior

evadit, appetētia ciborum et potulentorum successive redit. Corporum extra se positorum conscius particepsque eorum sortis, redeunt animi affectus et pathemata; potulenta acidula, prius amoenissima nunc nauseam movent. Somnus quietior refocillat interdum aegrum, non est tamen adeo durabilis et profundus ac insanis, unde saepius interrumpitur.

Restant ex morbo adhuc: lingua saepius obducta vel munda quidem, sapore tamer minus acuto vel etiam fatuo; igitur cibi quamquam maxime desiderati, minus ac statu normali sapiunt; debilitas muscularis, unde vertigo capitis saepius revertens, gravitas ejusdem, facultatum intellectualium hebetude, alvi morositas, summa pulsus irritabilitas, adeo ut omnis corporis motus inordinatam illius reducat frequentiam. Diutissime omnium affligit aegrum susurrus aurium et baryecoia.

Spatio unus alteriusve hebdomadae, lenta enim hujus morbi est reconvalescentia, etiam hae disparent molestiae. Sapor oris suam recuperat aciem, digestio et assimilatio magis ac unquam funguntur, et hinc etiam desiderium ciborum tanto luxuriat vigore, ut in insatiablem excedat voracitatem. Tandem, ubi flacciditas carniū disparere roburque muscularē redire incipiunt, ipse aurium susurrus cessat et aures pristina funguntur claritate. Omnibus jam restitutis functionibus, tandem stimulus sexualis illecebrosior de plenaria sanitatis reversione convincit aegrum. En quarta vel quinta morbi hebdomada; eum perpessum nil amplius loquitur, nisi exiguis muscularis langvor, in articulatione genuum sub scalarum ascensu percipiendus, et defluvium capillorum, quod nunc solum calvat aegrum. —

Mémoria probe tenendum, faciem morbi non semper talem, ut modo descripsi, fuisse, nec omnia symptomata enumerata, nisi fors gravissimos excipere velis casus, in eodem visa sunt individuo, innumerarē enim

et vere proteiformes obtulit nobis gradationes. Quosdam enim adeo leviter detinuit, ut praeter langvorem virium, temulentiam capitis, ruborem conjunctivae, tussiculam exiguum, tensionem epigastrii levem et in nonnullis exanthema, vix aliam perciperent molestiam; dum e contra alios tanta invaderet vehementia, ut spatio paucorum dierum, adfectum enecaret.

Sic mense Aprili vidi aegrum juvenem, quem ut retulerunt pridie invasit febris. Sub ipso status praesentis examine nullum detegendum fuit morbi symptoma nisi pallidam commemorare velim faciem, et afrebrilis usque seram mansit vesperam. Noctu deliria compararent vivacissima, adeo ut *stragulis* ligari debuerit. Sequenti die mane, ligatam somno deprehendimus obpressum quietissimo, solutis vinculis cum non expurgiceretur, nec illum excitare permisimus evigilantem examinaturi. Sed post horam jam iterum prolugit aeger, incoherencia clamitans, captus denuo ligatur; continuant tamen sine remissione deliri, et nox sequens suprenam illius obumbrabat diem.

Non secus circa finem mensis Aprilis et initium Maii duos adtulerunt aegros, quos praemissis paucis prodromis, stadium reactionis tanta invasit vehementia, ut vesaniae forma inde oriretur, sub qua specie etiam vinculis ligati adducebantur, subsecuta nunc remissione, revertente conscientia, exactius examinati patebat non aliud ac typhum esse, quo laborant morbum. Hic tamen, eadem qua ortus, celeritate ultra quoque extensus et omnia artis conamina eludens, quarto post invasionem die unum, sexto alterum e viuis sustulit.

Non minus ipsa stadia abnormitatibus fuerunt obnoxia, nam haud rarum fuit videre symptomata quedam nervosa in stadio adhuc reactionis comparere, alias inflammationis et irritationis symptomata, in stadium nervosum adulterum usque protendebantur.

Saepe morbus unica evacuationis specie sudore, alvo, sputis, urina, etc. terminabatur, conspicue satis, saepe plures earum simul aderant, alias autem iteratae minus efficaces successivam tumque lentam solum produxerunt emendationem. Accidit hoc praesertim tunc, si Parotides simul intumuerant, tumque exacerbationes vehementiores, siti, siccitas cavi oris, in ipso convalescentiae stadio diutius perseverare solebant cum continuo recidivae meū, nec salutis plena spes erat, quamdiu siccitas harum partium cum rubore genarum et conjunctivae aderant. —

Exitus morbi.

Finem morbi vel sanitas. vel mors, vel alter imposuit morbus.

1. Frequentissime sanitas, pristina saepe firmior et perfectior, excepit stadium reconvalescentiae, nam interdum morbi chronicī, uti syphilis, psora, herpes, ulcera pedum etc. praecipue dum convenientibus remediis prius jam impugnati erant, simul cum typho superacente disparere visa sunt, quamvis fatendum, mōrbos hos non innocuum exseruisse influxum in ipsius typhi decursum, et praesertim syphilide affectos, gravius decubuisse observatio docuit.

Memorandum puto esse hic, quod nullus Bubo sub totius typhi decursu sphacelo correptus fuerit, imo quod typho laborantis bubo ad consolidationem usque adductus sit. Ipsos decubitus in duabus tantum feminis sphaceloscere vidi. Phthisicorum quamvis typhosis circumdati nullus in eum incidit.

Conditiones, quarum praesentia sanitatis restitucionem pollicentur, communes sunt cum aliis morbis. Sanitas nimirum ante morbi evolutionem integra, firma,

aetas juvenilis ab omnibus complicationibus liber, gradus morbi mitior et therapia congrua mature adhibita. Quamvis cuncta haec praesentia certitudinem de secundo morbi exitu, ut tristis docuit experientia, non semper largiantur, existunt enim obscura quaedam momenta, quae aegrum inopinatae adgredientia, subito saepe, omnes illius exhauiunt vires.

2. Mors decursum morbi vel in stadio jam secundo, vel tertio interrupta.

Multi, qui nempe stadio 2-do periverunt, morte apoplectica vel paralytica extincti esse videntur; in his enim praecessit congestio et turgor sanguinis ad caput summus, cum deliriis continuis, spasmis varii generis; soper tandem cum sudore viscido partiali, pulsus tremulus intermittens, donec in aeternum silebat. Cadaver hujusmodi aegrotorum, in cavō cranii ut plurimum recondunt causam mortis; hic enim dura Meminx firmiter Calvariae adhaerere solet. Piae matris vasa insigniter turgent, serum majori quantitate exsudatum et in ipsis ventriculis collectum deprehenditur, substantia cerebri durior, friabilior, inscissa sanguinem ex copiosissimis fundit punctis.

Alii, qui tertium morbi stadium adtingunt, ex debilitate et exhaustione virium pereunt. Praecedunt enim plerumque pallor vel rubor tantum circumscriptus lividus faciei, debilitas muscularis et emaciatio, summa, hinc oculi profunde in orbitā vacuam retracti, exticti cum palpebra superiori dependente, sphincterum omnium resolutio; hinc etiam dentes denudati; sudor viscidus frigidus universalis, situs neglectus summe; vox debilissima conscientia sui usque ultimas saepē horas superstes. Culter anatomicus in his cadaveribus causam mortis eruere non valet, nisi fors intestina exulcerata; in priori mortis specie aequē comprehensa; pro ea assumere veris.

3. Qui Typhum cum decursu gravi, longo vel anomalo perpessi sunt, illos secundarius interdum morbus periclitavit, vel saltem diu infirmos tenebat. Erant autem malorum; Typhum genitorem agnoscentium plura, et quidem:

a) Parotides sub symptomatibus criticis jam commemoratae, hoc tamen nomine; ob insufficientem morbi remissionem, ob longum taediosumque decursum, ob inconstantiam temporis, quo comparere solent, atque ob pericula, quae inde aegro saepe accrescunt, indigni. Nunc enim stadia II. nunc III. nunc IV. solummodo corripitur aeger dolore, in illa alterutrius aut utriusque lateris fovea, quae per angulum maxillæ inferioris, auriculae externæ partem inferiorem, et musculi Sternocleido-mastoidei insertionem superiorem, circumscribitur. Hic proxime comparet tumor dolorificus, ruber, splendens, tantæ interdum molis, ut praesertim si utrinque oriatur, aeger in continuo suffocationis metu existat. Suppuratione orta et pure per meatum auditorium externum, vel hiatum cultro factum, evacuato totus resolvendus.

b) In aegro, qui morbum gravem feliciter evasit, et crisis per sudorem et urinam absolutis in convalescentiae stadio versabatur, febris bis per diem exacerbans, cum ruhore genarum circumscripto calore et siti nimiis, appetitu tamen persistente redibat. Cum aeger nullam topicam assignaret causam, metus erat, ne Phthisis Tabesve evolvatur. Tandem post octiduum, conqueritur aeger de phlyctenula parva insigniter dolente in scroto. En hic erat corpus delicti! Orchitis insignis pro parte jam gangrenosa, fors a parotitibus hoc deposita, visui se obtulit, aperto abscessu, exacuato ichore fere ad Libram, nulla comparuit amplius febris, et aeger cum induratione testiculi residua sanus nosocomium deseruit. —

c) Decubitus, licet aptius fors symptoma morbi molestum, quam exitus ejus nominandus, tamen cum in quibusdam aegris superato morbo, taediosam posceret therapiam; longamque causaret reconvalsentiam; in duabus vero feminis accidente sphacelo, ipsam vitam in discrimina conjecterit, haud incongruo loco etiam hic illam commemoratum puto. Dignoscitur ex macula initio rubra, dolente, in ea cutis parte, qua tubera ossium maxime prominentia obvestit, mox hinc epidermis secedit, tandem per lympham exsudatam crusta formatur dura, fusca nigricansve, infra quam, pressione continua suppuratio oritur. Soluta hujus ope crusta, plaga saepe profunde jam penetrans in apricum prodit.

d) Sphacelus siccus tarsi et digitorum pelum in quatuor casibus, in nosocomio filiali primo (Gemse) tractatis, cum stadio reconvalsentiae coincidit. Ubi nimirum conscientia reverti, febris componi, verbo aeger emendari inciperet, partes hae lethali frigore strinquentur, mox flavescent, livent, sensus omnis expertes. Statu hoc aliquot diebus perseverante, in parte vicina sana, successive tumor, levis cum rubore et dolore intenso oboritur, pars e cota affecta, livorem cum atro livido commutare cutimque in rugas agere pergit, insignem simul spargens foetorem. Tandem in margine, ubi pars viva demortuam ambit et qui linea fere rosea cingitur, solvitur cutis, et pus initio minori, successive uberiori funditur quantitate, donec ligamentis tendinibusque consumtis, osse necrosi destructo, naturae viribus solis vel interventu artis, partes demortuae solvantur. Contigit haec separatio sine ulla febri. —

e) Noma post perpessum typhum, in eodem Filiali in pueris duobus unaque puella, morte semper terminatum adnotatum est.

f) Hydrops universalis in unico casu genitorem Typhum agnovit, suis remediiis dein sanatus.

g) Juvenis, Syphilide universali sufficienter iam confectus, postquam medium circiter Dzondianarum abs umsisset pilularum dosim, Typho corripiatur, quo superato in Tabem incidit morte terminalam.

h) Frequentius Otorrhoea, Aphonia, Tussis sicca, Dispepsia et debilitas muscularis remanere solebant, cum tamen molestiae potius, quam morbi essent, temporis tractu sponte fere evanidae, seorsim commemorare nolui.

Quaedam de Origine morbi.

Nec compendium opusculi, nec ejusdem scopus, nec sincere fateor, limitatum meum ingenium permittant, ingeniosam aut eruditam quamdam Hypothesim, quae originem mali euodaret, publici facere juris. Ea igitur solum referam quae observare potui, et aliqua rationis ope inde deducenda.

Contagio morbum propagari observatio evincit. Postquam enim primus, in quo hunc morbum evolutum vidi semper, vita cessisset, mox parabolanus et septem vicini aegri eodem corripiuntur morbo, et me ipsum ab hoc infirmo infectum fuisse minime dubito, quamvis nullam, nec sub, nec post contactum illius senseram mutationem. Simili ratione successive morbo corripiuntur Domini assistentes collegae omnes, nec non nobis substituti. In ipsa Civitate plures mihi inpotuerunt familiae, quarum omnia membra post invicem in morbum inciderunt. Aegrorum ad nosocomium adlatorum plurimi, circa causam morbi interrogati, aut nullam, aut mite refrigerium aut minorem in Bacho Cerereve excessum arguebant; ex ultra tamen investigatis patuit, plurimos velamicum hoc morbo decubentem habuisse, vel cum socio sodali, ex nosocomio reduce in muluum venisse contactum.

Ast graviores nunc restarent solvendae questiones, quo nimis processu contagium in infecto ultra evolvatur organismo, ut dein hujus producantur morbi symptomata? et unde prima morbi radix cum adhuc nullum exstitisset contagium, derivanda sit? an in aëre et illius electricitate, an in commercio, quem aér cum tellure vel hic cum reliquis alit sideribus? fontes sat ampli unde. Pandemiorum morborum theoriae plurimae scatent. Et hae sunt recte questiones, quarum solutionem sagaciōris ingenio relinquere cogor, praesertim cum nec talia praecesserint tempora, nec talia fata, nec illud anni tempus quibus aliarum epidemiarum genesis juste imputata erat, et cum nec ingeniosissima, quam novi, eruditissimi Hartmanni ^(a) theoria, qua is sphacelis-
mum textus cellulosi subcutanei et praevalentiam hydro-
genii in eodem, ut basim evolutionis et propagationis
morbi hujus assumuit, in nostra epidemia omni exparte votis respondeat. Nam si taceam ea, quae jam cele-
berrimus ab Hildenbrand ^(b) contra hanc protulit the-
oriā, sufficiet observatio illa, qua compertum ha-
bemus, quod ex Innumeris totius epidemiae decursu
adhibitis vesicantibus, ne unicum quidem sphaceli vel
vestigium exhibuit. Tanto autem in sphacelum nisi prae-
existente, qui fiat, ut cutis vesicante irritata protinus
sphacelo non comprehendatur, non perspicio.

Ceterum contagio primitus sistema cutaneum vel externum vel internum adfici, ut celeber Hartmannus observavit, confirmant et origo et sedes et symptomata morbi prima et tota successiva ejus evolutio.

^{a)} Dr. Ph. Karl Hartman die Theorie des ansteckenden Typhus Wien 1812.

^{b)} Joh. Valent. Edler v. Hildenbrand über den ansteckenden Typhus.

Vehiculum contagii partim transpiratio cutanea partim halitus aegri esse videntur, igitur etiam in distans vi inficiendi pollet, et contagium corporibus certis diutius adhaerere solet retenta potentia sua inficiente. Autumo hoc ex iis hominibus, qui in morbum inciderunt, solum ideo, quod in eodem cum typhosis cubiculo cubuerint, et observatione in cubiculo Nosocomii 18 facta, ubi primi et gravissimi et sub initio statim plurimi decubuerant aegri, et quod ab hinc donec dealbatum omnique modo purgatum fuisse, focum quasi morbi constituit, cum plurimi hoc cubicile intrantes morbo corriperentur.

Ad evolutionem morbi dispositione opus fuit, quam evolutus morbus saltē pro longiori tempore et hujus epidemiae cyclo delebat. Hinc explicatur, quod totius epidemiae deursū unicum tantum his morbo correptum viderim, et quod non omnis aegros hujusmodi contrectans morbo correptis sit.

P r o g n o s i s.

Quis nam supra descriptorum exituum cum probabilitate Medica sit exspectandus, ex iis quae superius de exitu dixi, respiciendo complicationem, gradum et decursum morbi, individualitatem et constitutionem aegri, collimari quidem possunt; praesertim si simul adjuncta loci et temporis, omniaque pro hoc vel illo exitu pugnantia momenta, ratione debite pensitentur: memoria tamen nunquam non tenendum, morborum febrilium praesagium, ante crisim peractam, summis semper premi difficultatibus.

Praeter rationem, observata quaedam practica in arduo prognoseos negotio nos juvare videntur. Horum

aliqua cum probabilitate secundum morbi exitum sperare; aliqua adversum metuere jubent.

Priora sunt:

1. Vomitus spontaneus sub exordio febris, miliorem pollicetur plerumque morbi decursum.
2. Somnolentia vel somnus continuus absque tamen sopore, plerumque in sanitatem perfectam cito reducit.
3. Sudor amoenus calidus sub initio morbi statim comparens, et aliquot diebus durans, vehementiam stadii secundi fregit, tertium vero mitius breviusque reddidit.
4. Tussis in stadio reactionis levis cum sputis facilius ejiciendis sine voce laesa, verbo pulmones catarrho leviori affecti, praesagium bonum admittunt.
5. Baryecoia, nisi ex Encephali nimia affectione statque soporoso oriatur, in talibus solum obvenit, qui sanitati restituunt.
6. Praesentia vel absentia exanthematis sicut et coloris copiaeque illius varietas, nullam exitui morbi adfundit lucem.

Mali ominis signa putantur.

1. Vehemens morbi invasio, adeo ut tum statim atrocia adessent deliria.
2. Parotides praemature imprimis utrinque tumentes.
3. Singultus ut symptomata nervosum praecursorem mortis semel solum constituit.
4. Adfectus animi tristes, timor mortis instantis in hominibus robustis audacia secus non destitutis, omnino sum mili aliquoties fuit symptomata, non item in hominibus debilibus et statu sano meticulosus.

5. Siccitatem linguae et dentium obductio moco fuscescente
sicco in convalescentiae stadium usque protensa,
sanitatem ne utiquam restitutam, et vel relapsum
in eundem, vel transitum in aliud morbum instare
testatur. *ratio minor*, et *admodum* *socius* *vel* *etiam*
Ceterum praesentia unius horum symptomatum, nisi
cum aliis adjunctis in concordia existit, prognosim
decernere non potuit. Observatum praeterea est,
quod facilis feminae ac viri, facillime infantes ex
epidemia hac evaserint, atque eadem ratio respectu
receptivitatis subsistat. *ad modum* *etiam* *malorum* *et* *eq* do
cumentorum *modum* *supradictarum* *convenienter* *ad* *supradictum* *in* *tempore*
et *place* *invenienter* *inducunt* *ac* *sup*

Therapia.

Cum in morbo jam praesente causa, quam cetero-
quin raro novimus, amoveri amplius non potuit; indi-
cationem ex statu individuali aegri, stadio et gradu mor-
bi desumere debuimus, memores semper eorum, quae
experientia et hinc analogia ratione inducta, vim natu-
rae medicatricem in similibus morbis actuosissimam te-
stans, svadeat. Indicatum itaque semper erat, naturae
vires et actiones in debito semper tenore, relate ad gra-
dum morbi servare. Hoc assequi diverso in stadio et
gradu diversa et sequenti quidem ratione conabamur.

Stadio I-mo. Morbo necdum distincte evoluto, si
casus exceperis illos, in quibus praesentia saburrae in-
gurgitatae evacuationem poscebat, aut nulla aut indif-
ferentissima adhibuimus remedia, utpote infusum cali-
dum spicer Althaeae, sem. Hordei, flor Chamomillae,
vel Sambuci, in simul diétam tenuem, quietem, aérem
purum siccum et teporū lecti commendavimus. Haec
eadem remedia initio.

Stadii II-di. Sub ipsa nempe febris invasione suffe-
cerunt. Superata invasione, in quibus morbus chara-

cterem catarrhalem mitiorem retinuit, mixtura simplissimie emolliens eum muriatis ammoniae scrupulo vel Nitri Drachmam semis — una, et Tartari emetici granum semis per totius stadii decursum suffecit. Quos sitis nimia et calor siccus torquebat, potum cum Drach, una — una semis acidi muriatici dilucti vel oxygenati acceperunt et lotio corporis cum aceto et aqua frigida instituebantur.

Ubi imprimis sub initio hujus stadio saburra surstinet turgens, vel ob errorem diaetae praegressum, vel ob polycholiam hoc stadio haud raram, emetici poscebat usum id porrigerere non intermisimus; sequentem plerumque formulam praescribendo:



Rp. Pulv. rad. Ipecacuanhae

Drachmam semis.

Tartari stibiati

Granum unum

M. exactissc, Div in ptes - les duas

DS. Nisi spatio unius horae post,

primum absumptum sequitur vomitus,

secundum vero sumatur et alter,

ut effectus maxime acutus sit.

Effectu remedium raro carebat, vomitu interdum

et diarrhoea secuta, levamen unius alteriusve diei plurimos refecit aegros, quamvis indiscriminatim, nisi symptomatibus poscentibus, ut auctorum complures svalident, ad ulteriorem morbi evolutionem praepediendam aut decursum mitigandum, adhibere ausi non sumus, cum post ejus usum nec unquam morbum praepeditum aut singulariter mitigatum vidissemus.

Et quis quaeso aegro, qui nullis symptomatibus gastricis¹, sed summo sanguinis ad Encephalon vel pulmones turgore, ut superius descriptum est, quis inquam huic dedisset emeticum? His potius fomenta frigida ad caput hirudines ad tempora, pectus, abdomen, epispastica ad suras, brachia, mucham applicare, i potum acidum, mixturam cum generosa Nitri quantitate, vel Hydrargyri muriatici mitis unum usque tria grana porrigere, satius esse putavimus, imo in uno alterovo easu non sine magno emolumento ipsam sanguinis evacuacionem institui.

Sie Juvenis quidam tener, macer, Lapicida, quinta circiter post febris invasionem die; in sopore summo, conscientia omni destitutus adfertur. Bulbos magnos prominentes cum pupilla coarcata continuo rotaba; facies erat praerubra, lingua fusca, fissa, siccissima; deliria mussitantia continua; pulsus celer, durus, vix supprimendus, non tamen magnus. Huic aegro altero post susceptionem die sanguinis uicias quatuor e Mediana destraxi vena, simul fomenta frigida capiti erant applicata, interne mixtura cum nitri Drachma una semis exhibita. Et tertio die mane jam assuras desiderabat aeger. Concessa modo diaeta nutriendis cum viño, et tres Dti Corticis Chiae cum quindecim liquoris mine. Hoffmanni guttis; debilitatem, tremores, et hebetudinem, reversa conscientia conspicuos, tam cito sustulerunt, ut moribunde adlatus aeger 9-no jam die debilis quidem adhuc, nosocomium deseruerit. —

Stadium III. In gradu morbi mitissimo, ubi praeter tremores artuum, debilitatem muscularē, irritabilitatem parumper auctam, temulentiam capitis et vertiginem, nil animadverti poterat, vinum solum cum diaeta nutrita organis digestionis adcomodata, pharma-

corum omnium usum superfluum reddidit. In quibus cutis siccitas, pulsus frequens, parvus, celer et deliria nocturna mitiora accesserunt, infusum angelicae vel aqua melissae cum acetatis ammoniae soluti diluti drachma una — — duabus vel spir. Cornu Cervi succinatus aut anisatus, vel vero sulfatis Chinini gr. quator cum liquoris anodynī min. Hoffmanni gutt. quindecim — scrupulum, votis saepe apprime responderunt. —

In morbo tamen graviori cum deliriis vehementibus, spasmis varii generis aut sopore, cuti arida, urente, lingua sicca lignea, facie pallida collapsa optimo adhibimus effectu emplastrum Cantharidum ad vesicae grandis elevationem usque variis, pro diversitate adjunctorum locis appositorum; lotionem cutis cum accelo aromatico vel aceto vini calido, cuius odor praesertim nimis refecit aegros. Interne infusum rad. Valerianae vel Arnicae cum Camphorae gr. uno — tribus, et acidi Phosphorici dilut. drach. una, vel hujus loci Tincturam quamdam aromaticam praescripsimus. Abdomini meteoriſmo extenso ungventa emollientia illiniuntur et desuper cataplasmata ejusdem virtutis calida apponuntur, quae spasmos solvunt, partes emolliunt, sudorem proliquant. Alvum nunc interdum obſtipam clyisma emolliens reſerat, cum e contra decoctum florū Arnicae cum liquoribus aethreis, et pulveres Doveri alvum ruentem coērent; effectu autem his parentibus debilitate increscente extractum Colombo scopum certe assequitur. —

Non defuerunt tamen casus, ubi congestionis vel plane inflammationis latentis vestigia perdurantia, remediorum horum usum restrinxerunt et remedia stadii prioris longiori tempore continuare s̄aserunt. Generatim quoque facies turget, oculi rubent, pulsus vi sufficienti vibrat, symptomatibus nervosis quantumcumque

urgentibus, stimulantia expandentia votis minus respondent et remedia emollientia omnibus aliis palmam praeripiunt. In similibus quator casibus balneum tepidum, postquam natura per Lysim iterum iterumque morbum exterminare frustra conaretur, adhibuimus; quod hac ratione irritabilitas sufferatur, et residuam debilitatem, fors balneo auctum, remediis convenientibus sublaturi sperantes. In duobus individuis effectum grato agnoverimus animo. Etiam in tertio irritabilitatem pro tempore sopivit, redux tamen ad secundi balnei seduxit usum, quem tanta tam praecepsque sequitur debilitas, ut mortem infra 12 horas praevertere, nulla amplius poterimus arte. Quartus qui lue necdum penitus debellata Typho corripitur, nec Hercules sanissimo corpore unquam exstitit, typhum quidem evasis, exitus tamen in Tabem ultimas illius exhaustis vires.

Horum remediorum ope in plurimis tamen Crisim adtingere successit post quam seculum est.

Stadium IV. Quam diu febriles motus percipiuntur, tamdiu etiam remedia ea, quibus Crisis salutaris indueta erat, minori quamvis dosi majoribusve intervallis, continuanda sunt. Sopita tamen ex toto febri dieta nutritiens cum vino vires successive restituit. In nonnullis tamen laxitas organorum digestionis dispepsiam produxit, cui optime extracto Quassiae aut Trifolii fibrini in connubio cum liquore Hoffmanni medebamur, residuam dein debilitatem muscularum decoctum saturatum Corticis Chiae regiae cum acido Phosphorico, ubi irritabilitas adhuc praevalebat, aut hujus loco cum liquore anodiner Hoffmanni, ubi stupor capitis et pulsus tarditas super erant, sustulit. Tussis sicca in multis ex morbo residua, decocto emollienti cum aqua Lauroerasi et pro ratione circumstantiarum nunc cum sul-

fate Chinini, nunc cum mur. Ammoniae ut plurimum cessit.

Speciali cura symptomatica, si illam diarrhoeae et in duobus individuis epistaxeos profusae, ope aquae Thedianae sopitae excipias, nulla unquam opus erat.

Parotides cataplasmatum et emplastrorum emollienti narcoticorum et similiū unguentorum ope ad maturitatem perductae, nisi sponte pus evacuarunt, arte aperti sunt. Methodus resolvens, mundities et diaeta nutritius residuum curae perfecit.

Decubitus simplices aqua calcis, vel solutione chloritis calcis vel aqua saturnina; sphacelosos fomentis et ungventis aromaticis stimulantibus, suppuratione autem debita praesente mundicie et aqua tepida vel infuso cha- momillae ad consolidationem perduximus.

Exitus caeteros tamquam proprios morbos suo modo, respectum semper habendo originis, tractavimus. Tractamen autem hoc pessimum non fuisse aequo colligare poterit judicio quisque ex

63

Tabella sistens tractatos ex Typho in Nosocomio ad St. Rochum et ejus Filialibus 1^{mo} (Gemse) et 2^{do} (Grün Baum)

Nomen Mensis.	Sub cura mancerunt.		Suscepti.		Sani dimissi		mortui.		in cura mancerunt.		
	Viri	Fem	Viri	Fem	Vir	Fem	Vir	Fem	Vir	Fem	
1835.	October	2	2	9	7	2	3	1	3	8	3
	Novembér.	8	3	15	42	8	5	2	2	13	8
	December.	13	8	75	29	39	11	15	6	34	20
	Januarius	34	20	61	26	59	15	5	5	31	26
1836.	Februarius	31	26	64	28	44	34	10	2	41	18
	Martius	41	18	64	23	61	20	18	2	26	19
	Aprilis	26	19	37	13	40	22	4	1	19	9
	Majus.	19	9	29	16	26	18	9	—	13	7
Summa totalis		2	2	354	154	279	128	64	21	13	7
							512				

Ex his 85 mortuis moribundi, i.e. qui spatio Nycthemeri succubuerunt, erant adlati viri septem, feminae duae, universim novem.